

*tentia adhererem, si purgaretur a multis fabellis? Quasi vero liberum sit in hac traditione, quod est essenziale, vel negare, vel credere, semotis etiam fabellis. Hæc enim traditio, ad rem quod attinet, negari non potest: sive rei quædam περιτάσεις & adjuncta sint vera, sive falsa. Baronius in Martyrologio Romano die Novembris XXI. traditionem hujusmodi tamquam certam proponit: Petrus vero Canisius libro primo de Deipara cap. 12. eandem Patrum gravissimorum testimonio confirmat. Istis autem auctoribus multo satius est fidere, quam iis Criticis recentioribus, quos intelligit libellator, & quos vere possis hæreticorum Magdeburgensium germanos fratres appellare (a). Postremo pessime agit auctor libelli, qui cum proprium Officium Præsentationis abrogatum commemorat a Pio V., facti causam dissimulat, ut videlicet in ambiguo relinquat peculiare cultus objectum ejus diei. Sed non imponet cavillator infusus eruditus in Ecclesiastica Historia; quos minime latet, Pium Quintum, ut reformando Breviario Romano operam daret, causis adductum omnino tribus fuisse. Prima fuit, ut ne in cultu Divino singulares Ecclesiæ inter se discrepant; quas in magna Officiorum varietate alias aliis uti solere compertum erat. Unam igitur methodum, formulamque proposuit venerandi Deum Ecclesiastico ritu, quam Latini tenebant omnes, ad quos pertinere Officium persolvere. Altera causa antiquitatis veneratio. Nam Ecclesia Romana veteres ritus & coluit semper, & magna cum fide, ac religione retinendos judicavit. Ergo si quod Officium non commendabat antiquitas, Pius Quintus expunxit a Breviario: eaque causa fuit, ut Officium illud excluderet immaculati Conceptus, quod Leonardus Nogarola exaraverat, ac fere tota ab annis amplius nonaginta usurpabat Ecclesia; in ejusque locum Nativitatis Officium diei festo Conceptionis adscriberet, cum eo tamen, ut, quæ erant necessario mutanda, mutarentur. Erat autem Nativitatis Officium*

(a) Dupiniam intellige, ejusque similes Criticos hujus ætatis.